

II f  
1162

Q. D. B. V.

# PAUPERES LI BERALES,

DISSERTATIONE PHILOSOPHICA,

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ indultu.*

PRÆSIDE

## M. NICOLAO PA- NECIO, Zittâ-Lus.

Serenis. Elect. Saxon. Alumno,  
placidæ Eruditorum disquisitioni  
submittit,

RESPONDENS

### WILHELMUS Grænce /

Freiberg. Misn.

S.S. Theol. & Phil. Stud.

*Ad diem IX. Septembris*

Horis pomerid.

*Anno M DC XCI.*



98 —



WITTEMBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII.



919



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some faint words like "MARTIN" and "LUTHER" are visible.





I. N. J.

**N**ervum rei literariae Rerumque publicarum esse Liberalitatem in confesso est, ita ut nec Literae flo-  
re, nec Respublica virere possint, nisi liberalis ac muni-  
fica Principum manus accedat, quae rore hoc jucun-  
disimò arida hujus agri labra demulceat, est columna,  
quae stante hedera semper vivebit. Cum igitur, tanta  
hujus virtutis sit utilitas, ut fatente Tacito de Galba liberalitas parci-  
senis, conciliare potuerit, animos militum acerbos, mitigaverit antiquum  
rigor & nimia severitas. lib. 1. hist. cap. 18. nos in praesentiarum Thema  
Ventilationi satis congruum, hanc de Virtute putavimus. Nec totam  
ipsius latitudinem exhaurire, aut festivo compositivo describere verbum  
animus est, sed tantum brevi ac Philosophico stylo deducere conabimur,  
thematis ad instar compositivam pertractaturi: utrum & gemma haec  
in pauperibus fulgeat? non adeò innitentes multorum auctoritatibus,  
quam rationibus, ad quod, unicum illud Epicteti essatum, nos per duxit,  
qui dum Socratis Philosophandi Methodum verbis descripsit plausibi-  
libus, eam maximè de causâ, tam feliciter in amplo Philosophiae studio  
decurrisse, quòd  $\mu\eta\delta\epsilon\nu\iota\ \alpha\lambda\lambda\omega\ \alpha\epsilon\gamma\sigma\acute{o}\chi\omega\nu\eta\ \tau\omega\ \lambda\acute{o}\gamma\omega$ , demonstrat. Vix  
acerbos hic adversariorum aut militum sentimus animos, sed placita  
eruditorum, ut quondam ita Gassendus Cartesianas appellataverat,  
controversias, quibus nos quoque nostra reponere placita volumus. Equi-  
dem, non dapes forsitan lautiores, sed proletarium, ut ita loquar, cibum  
apponimus, cum & ipsa Dissertatio, proletarios tanquam potissimam  
objecti sui partem sibi vendicet. Inde Methodò alias consueta reus  
exordimur.

S. I.

**P**rimò dispiciendum de voce Liberalitatis, quae remotè à li-  
bero derivatur, quia omnes virtutes liberò ex animo meare  
debent, inde in mancipia vix cadere Summum bonum notum  
est,

est, vel ñs, qui primis tantum labellis præcepta delibarunt moralia; proximè deducitur à suo concreto Liberalis, quatenus illud virtuosum denotat hominem, quo sensu usurpatur ab eloquentissimo Romanorum Patre, in Orat: pro Quinto Rosc. Est inquit liberale officium serere, beneficium, ut metere possis fructum.

§. II. Nec sumitur hinc quatenus servili opponitur metui, quò sensu familiare est Terentio in Adolph. Pudore inquit ibidem, & liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu; sed in sensu proprio quatenus Virtutem notat Moralem: at quia major hic concreti habenda ratio, quam abstracti de istius quoque homonymiâ, erimus solliciti, hoc itaq; non sumitur, quatenus multoties cum parco confunditur, prouti illud in Aristotele reprehendit Hugo Grotius de J. B. P. in Proleg. p. m. 13. vel pro bonâ indole, unde Phrasis liberali ingenio esse, Terent. in Adolph. usitata, nec abhorret Cicero lib. 3. ad Atticum, unde & artes liberales suum traxisse nomen videntur, quòd solius ingenii non manuum ministeriò peragantur: sed in sensu proprio strictò ad æquatò, pro virò bono hac virtute insigni non mediocriter.

§. III. Synonymia hinc nimis angusta, datur, & impropria, vocatur enim aliquando, munificus, munificentia, beneficus, benevolus, benevolentia, quæ potius ad peculiare Virtutum species sunt releganda.

§. IV. Erit itaq; Liberalis Vir bonus & ingenuus, qui circumstantiis loci & temporis, modi, Personarumq; objecti, ritè circumvolutis non tantum bona distribuit, sed & accipit, prout ratio ipsa postulat, honestatis ergò, aut clarius, ad consequendum summum bonum Morale. Apponimus & Abstracti Definitionem, ut eò meliùs pateat, si quæ de hoc differenda sint quid per illud intelligamus: Liberalitas est Virtus Moralis ad agentem relata, dirigens actiones Morales, in facultatum mediocrium acquisitione & erogatione, quam ità ab Excell. Dn. Rosenfeen/Patrono & Præceptore nostro hausimus feliciter. Non immorabimur diutius dilucidationi Definitionis utriusq; quin potius, ad alterum thematis terminum, nos convertimus.

§. V. Pau-

§. V. Pauper, quasi à parva pecunia dictus, ut Varro existimat, latiore de sese prodit homonymiam, quæ non tam ex Latio, quam Græcorum campo, venit enucleanda: Ibi enim vix tale discrimen reperietur. Græcis itaq; πένης dicitur à πένη, ille pauper, qui tamen aliquò modò, scilicet laborando, vitam nutrire ac sustentare valet, quamvis vel miserrimè: at πτωχός dicitur extremè pauper, qui mendicando, sibi ut consulat, opus habet quale discrimen suppeditat Phocylidis poëma, itàm enim prius nomen adhibet: μηρίψης πένην, αόκως, μη κείνη πρόσωπον v. 8. alterum versu 20. comparet:

Πτωχῶ δ' εὐθύ υἱίδος, μητ' αὐριον ἐλθέμεν εἴπης.  
 quod discrimen & Sacrae pagellæ observant, inde Lazarus, πτωχός vocatur Luc. 16. v. 20. & 22. Vidua δύο λεπίς in gazophylacium immittens πτωχῆ audit Luc. 21. v. 3. at 2. Cor. allegans Apostolus Psalm. 112. versum nonum dicit: ἔδωκε τῷ πένησι. Syris prius dicitur נַדְדָּדָּדָּ Luc. 16. v. 20. & 22. 2. Cor. 8. v. 9. nos utrumq; retinemus, maximè tamen posterius respicimus de quò, plurima est disceptatio. Itaq; pauper erit vel extremè talis, sive mendicus, vel mediocriter talis, qui tamen aliquales habeat opes, quas distribuere possit.

§. VI. Synonymia occurrit varia, dicitur enim, Mendicus, egenus, indigus: at prior vox, hujus loci, palmaria videtur.

§. VII. Pauperis definitionem itaq; facillè, damus, eum esse, Personam opibus destitutam, quarentem victum vel manibus, vel precibus, apud ditiores, ad vitam sustentandam.

§. IX. Vindicatis, jam ità vocibus, à suis æquivocationibus, propius ad assertionem thesios accedendum est, quæ hisce constat conceptibus: Pauperes esse liberales, & quidem non tantùm mediocriter tales, sed & extremè pauperes, quos Græci πτωχός appellitant, liberales, non forsan sermone, aut ingenio, sed Virtute, propriè, non verò æquivocè, aut vocem nimis latè extendendo, prout definitio, antea §. 4. tradita, illud declarat, ita ut & pauperes illud effatum, quod Cartesius, à se inventum gloria-tur, refutatus tamen à Dn. Daniele Huetio, in Censurâ Philosophiæ Cartesianæ pag. ultim. demandas potius cupiditates, quam rerum ordinem immutandum sibi applicare possint, &

Pauperes affectus domare possunt, qui vel circa, bona plura accipienda, vel nulla distribuenda, oriuntur.

§. IX. Primò itaq; fontes Virtutis ex hauriendi sunt, quorum duos Val. Max. constituit inqviens: Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes, verum iudicium, & honesta benevolentia, cui efficaciam conciliat, opportunitas. lib. 4. c. 8. quæ requisita & in omnibus Ethicorum libellis occurrunt, & potissimum circumstantias ac formalem rationem virtutis in se continent. Verum enim iudicium ferendum est, cui & quantum damus, ne, vel ditiori, aut indigno, vel, plus quàm facultates nostræ permittant, largiamur. Honestæ benevolentia, respicit finem, quem omnes omninò virtutes sibi præfixum habent; opportunitas tandem, locum & tempus, lynceis quasi oculis aspicit, & ita quoque Virtutis concomitantia dirigit. Hæc si pauperi applicentur, nullam sentiunt, repugnantiam, nam & hic homo est, adeoq; iudicio satis acutò, observanda, observare potest, & honesti rationem à naturâ sibi implantatam celebrat, adeoq; benevolentia honestæ vix hospes aut ignarus erit, nec opportunitatem intermitter, si honestus est.

§. X. Quoad hospitalitatem, ad Liberalitatem relatam, quem admodum & per analogiam, illud fieri, vix repugnat, pauper utiq; insignem præstare poterit operam, multoties & mendicus peregrinum, in nidum suum quem semel habet concessum, recipere, atq; adeò hospitalem sese exhibere, num non poterit? Benevolentia quæ catenâ quasi, hospitalitati & Liberalitati annexa est, vel pauperrimo competit, qui viam tantum monstrando errantem sublevat, magno eum beneficio & non rarò vel aurò redimendò, exornat. Haustum aquæ, mendicum in suâ potestate habere, nemo negaverit, qui hoc unicum liberalem sese exhibet, & sanè dixerim militem illum Alexandri M. gregarium, quidem, satis liberalem fuisse, erga Darium Persarum Regem, qui in præliò victus, parricidioq; Bessi, vulneribus fessus agonem agebat, unicum aquæ haustum anhelabat, quem ipsi miles hic suppeditaverat. Curt. lib. 5. c. 14. nec erravero dicens Dario ultima expectanti, hoc beneficium fuisse præcipuum.

§. XI. Utilitatis virtutis nostræ in in proemio statim iniecimus mentionē, de quâ si loquamur in genere, vix ab honesto erit sepa.

paranda, ita enim Cicero inquit; Nihil est utile quod non idem honestum: nec honestum quod non idem utile sit: negatq; ullam pestem majorem, in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint lib. 3. offic. p. m. 121. & Tacitus in vita Agricola, hoc praecipuum laudat: Peritum scilicet fuisse Agricola obsequii, & eruditum honestis utilia miscere. Tacitus in vita Agricola c. 8. Hæc si ita comparata sunt vix surripiendam censemus pauperibus utilitatem, quæ si quæ suam essentiam spectetur, ratione tantum differt ab honesto, non semper existentiam, ubi multoties, variante rerum statu, variare solet, quod fuffus exponit Zverius Boxhornius in Polit. lib. 1. c. 1. p. m. 3. & seqq. Ergo si honestus est pauper & circa liberalitatem, tam à parte sui, quam à parte aliorum quandam sibi pollicebitur, utilitatem. Liberalitas quippe, à parte sui subjecti, in quo est, maximos utilitatis rivôs de sese fundit, reddendo conscientiam, pacatam atq; tranquillam; à parte aliorum, ad quos relata, laudem nec non gratitudinem multoties reciprocam, conferendo: non tamen, eò sumus animò, ac si hoc penitus, necessarium esset, consequens: sic namq; liberalitas non esset liberalitas, si eò fieret animò, ut decem pro novem acciperentur, sed usura, aut fœnus avaris sit commendabile, hinc Val. Max. non secundas Hieroni Syracusanorum Regi decernit, laudes, quod voluntate mittendi primus, iterum prudentiâ, ne remitteretur liberalis fuerit. lib. 4. c. 8.

Nec unquam audivimus, separatum ab honesto, decorum, quod ipse Tullius formalitantum conceptu, ab honesto sejunctum venditat, illudq; ut verba ipsius habent, cogitatione magis quam re separari, & ut venustas & pulchritudo corporis discerni potest à valetudine. lib. 1. offic. p. m. 40. definitionem decori ibidem ita adornat. Decorum est id, quod ita naturæ consentaneum est, ut in eo moderatio & temperantia appareat, cum specie quâdam liberali. Ergo nec Decorum à pauperibus alienum honestis; nec enim decorum hæc idem, ac quod elegans pulchrum formâ externâ, verum quod animum habet politum, naturæq; principia, satis exculta, moderatione seu temperantia, ubiq; exercitata, ut adeò calcar quoddam & à scintillis, imaginis in nobis reliquæ, ignis quidam excitetur, Species adest liberalis, fe-

festiva scilicet, non tamen corporis, sed animi, quæ pauperi æ-  
quæ ac diviti competit, & non rarò altiores in egenis radices a-  
git, quàm in opulentioribus. Ergò concludimus & hic paupe-  
ri vix denegari posse liberalitatem quæ virtus honesta, decora,  
non ex externis actibus aut ceremoniis Phariseorum luxurian-  
tibus dijudicatur, sed ad interna animi sensa, ejusq; integrita-  
tem respicit, quæ in pauperibus vel mendicis, insigniori gaudet  
luce, quàm in abundantibus.

§. XIII. Hæc decori meditatio rectâ nos ducit ad formam Vir-  
tutis aut ut in Gnostologicis appellatur, formalem ipsius ratio-  
nem, quæ non cum Aristotele, in mediocritate, primariò, consti-  
tuitur, sed in consensu aut rectitudine cum suâ normâ scilicet,  
rectâ ratione, quâ positâ tandem sponte fluit mediocritas tan-  
quam necessarium consequens, ita ut vix aliter sese habere que-  
at, quin mediâ & regiâ ut loquuntur Eclectici viâ incedat, inter  
utrumq; extremum. Recta quippe ratio, tali indole est, ut illud  
quod est honestum & decorum ivadeat nec illud, vel ad exces-  
sum vel ad defectum declinare patiatur, hęc moderamine itâ  
dictitatō mediocritas sive medium vel me invitō adest. Hæc  
forma æquæ liberalitati, ac cæteris virtutum speciebus adaptan-  
da est, & hæc cum rectâ ratione consentit, honestum respiciens  
finem, mediumq; observans, ne vel in nimium, vel in parum in-  
cidat, & itâ diviti pauperiq; communis erit; nam pauper secun-  
dum rectam rationem, itâ quoq; agere potest, ne aut ad nimi-  
um (quod hic quidem absentibus divitiis vix metuendum ni ad  
circumstantias respexeris, ne scil. plus det, quàm ut ipse habeat  
ac & in posterum vitam sustentet) aut ad parum deviet.

§. XIV. Et illud nostram corroborat sententiam, quod Virtutes  
suis quoq; distingvantur gradibus, nec ubiq; æquales specten-  
tur, & quia qualitates sunt, remissionem intensioremve vix re-  
spuent, majori itaq; gradu fuit fortitudo in Simsone, quàm in  
Davide, quàmvis Davidem & ipsa Sacra Scriptura fortem appel-  
let, eumq; satis excellentem in hâc palæstrâ dictitet, quem ta-  
men superet Simson & fortis ille Gideon. Lubenter, itaq; an-  
nuimus & Liberalitatem suos habere gradus, & in ditioribus  
majori & excellentiori gradu, in pauperibus verò in remissiori  
adesse. Opulentiores proinde Cræsus eleemosynas dabit,  
quàm



quàm miser ille Irus propterea tamen vix semivirtutem aut dispositionem tantum, actum primum quem nunquam sequatur secundus, Liberalitatem in pauperibus dixerimus.

§. XV. Consequens Virtutis necessarium si pensitemus scilicet summum Bonum Morale, hac quoque virtute comparari posse deprehendimus; hunc igitur animæ thesaurum, hanc navis fluctibus Jactatæ anchoram derogare pauperi quis congruum putaverit. Videtur quidem, ac si generaliter de Bonâ Conscientiâ ageretur, quæ ex quavis virtute promanet. Verum hic inter cancellos terminosque semel propositos manendum, sermo itaque de Liberalitate est, quæ & pauperi tranquillam reddit conscientiam liberali, quæ si denegaretur, eum cum Lipsio bis, terque miserum appellaremus. Pergit ibidem Lipsius ulterius, malamque conscientiam & unde originem trahat, vivis depingit coloribus: Vela te inquit & verte in varias formas, ubicunque vera virtus non est, vitium subsequetur, & ex eò in quies in animò aut timor. Lipsius in Monit. Pol. cap. 6. Si itaque hic vera virtus non adesset vitium subsequeretur, nec multis parasangis abesset mala conscientia.

§. XVI. Felicitas igitur comitatur Liberalem quod inconcussum est; at rigida satis & multis velitationibus obnoxia hic venditur quæstio, num felicior paupere dives? ubi non stoicâ innixi autoritate, omnes miseras, omnem felicitatem, non rebus sed opinionibus adscribimus, quod videri potest in Epic. c. 10. quin potius rem ita constitutam censemus, in animò, quidem residere tristitiam, at res in se quoque ita comparatas, ut nil nisi horridam luctus materiam fronti obtrudere soleant: ad dilucidandam tamen quæstionem & decidendam quantum exiles ingenii vires concesserint, distingvimus inter felicitatem *internam* & *externam*, veram & apparentem, honestam & utilem, ita libenter largimur, divitem externè (judicio vulgi) apparenter & utiliter felicior em egenis degere vitam. Quod si tamen de divite virtutibus onusto & cum primis liberali, quæritur, utrum hic felicior, qui multas habeat possessiones, quibus liberalitatem adaugeat non mediocriter? respondemus distingvendo inter essentialiam absolutè spectatam & existentiam summi boni in subiecto quod hic in liberalitate consistere supponitur, quoad exist-

stentiam quidem videbitur felicior, qui pluribus instructus est instrumentis seu mediis ad virtutem exercendam: at quoad essentiam quatenus abstractè consideratur, absq; instrumentis, eandem utrobq; adesse felicitatem existimamus. Nam definitio Summi boni, & pauperi & diviti erit æqualis, quod uterq; actionem animæ rationalis perfectam in vitâ perfectâ exerceat. Omnia enim habet qui nihil concupiscit ait Val. Mal. l. c. sed utrum pauper actiones Liberalitatis exerceat perfectas, difficilius videtur quæstio, circa quam non anxio versamur animo, ei omninò perfectas adscribentes actiones, dum affectibus subjugum missis exerceat virtutes. In eò enim quasi rectitudo virtutis, quâ maximam partem constituitur, si affectus rectè dumentur & vincantur, inde omnia semivirtutum primordia, quæ affectibus nondum exactè compositis, erumpunt.

§ XVII. Et quâ internam Virtutis indolem his non adeò movebitur, quàm circa externa illius ornamenta, aut melius instrumenta, quibus hæc innitatur & ad finem assequendum utatur latissima. Divitiæ in censum revocandæ, quibus si careat Liberalitas ad portum sibi propositum aspirare posse à multis negatur. Itaq; hic notandum erit, aliud esse quid *essentiale* & *extraessentiale*, aliud *constitutivum* aliud *consecutivum* aliud *principale* & *minus principale* seu *instrumentale*. Divitiæ tanquam quid *extraessentiale*, nec *constitutivum*, nec *consecutivum*, nec *principale*, sed *instrumentale*, communiter conceduntur, quæ summum bonum nec constituent, nec necessariò consequantur, sed tantum quâ præsens forum nostrum aliquò modò sublevent: auxilium quoddam ab istis virtuti huic accedere, vix aliquis nisi mente minus Philosophicâ instructus, negabit, & quidem maximum inde oriri emolumentum quâ benè esse, non tamen quâ ipsum esse. Quippe res, uti sunt divitiæ, indifferens, honestum determinare vix valebit unquam. Omne enim honestum quâ tale & quatenus ex naturâ fuit naturâ suâ quoq; honestum est, & non tantum ex æstimiò divinò. Felicitatem quidem promovent, quàm dixeris Corporis, at non animi, nam ut Cebetis Tabula habet, *ἡ πρᾶξις* viros bonos facit, & non divitiæ, imò varias quoq; portendunt difficultates, ne scilicet virtutis flores odorem latè diffundere queant, & ut sapientia divina substantialis loqui-



dem Salvator inquit, ἡ χείρα ἡ πτωχὴ ἀπὸ πλεῖον πάντων ἔβαλε:  
vocatur vidua & quidem πτωχὴ non πένης i. e. talis quæ forsan  
labore suô vitam sustentaret, aut seruiendo cuidam, tantum in-  
de acciperet, quantum corpori nutriendo sufficeret, & abun-  
danter aliquid, quod in Gazophylacium conjicere, aut in usum  
foran adhuc miseriorum concedere posset. Sed est mendici  
instar qui ex eleemosynis acceptis & gazophylacio quid inde  
porrigit. Hæc igitur vidua plus, dedit quàm cæteri omnes, cur?  
quia reliqui non observatis virtutum circumstantiis sua dispen-  
saverunt munera. Omnis enim actio ex fine est dijudicanda,  
hic si non fuerit legitimus, aut conformis rectæ rationi, tota ac-  
tio rescinditur, nec honesta dici meretur; cum igitur honestas  
in Ethicis respicienda, ergò dona distributa hunc finem vix fue-  
runt affecuta. Distribuenda quidem sunt, at non eô animô, ut  
nos coram universô populi circulo, ostentemus, aut cornibus  
inflatibus five tympanis, universæ communicemus civitati, nos  
esse liberales, penè dixerim Phariseos; aut etiam tantum ex  
consuetudine observata, ne scilicet, ab aliis avari habeamur aut  
itidem, de nobis mala ferantur judicia, quasi, omnibus destitu-  
ti fimus bonis, cum tamen satis pomposè nos geramus, sed eô a-  
nimô omnia fiant, ut imprimis in honorem Numinis altissimi  
cedant, & tandem honestatis ergò, ut acquiramus Summum  
bonum Morale, vel ut æquius cum nonnullis loquamur, ut Deo  
magis magisque in mortali hōc miseriarum ergastulo; assimile-  
mur. Observandum quoque est objectum, ut scilicet ea tantum  
donentur, quæ vel hæreditate legitimâ, vel etiam labore hone-  
stô acquisivimus; non enim communi Philosophorum consen-  
su, si liberales dicendi, qui vel magnificè sua bona largiuntur,  
quæ vel rapinis vel defraudationibus proximi, vel etiam planè  
furtô, sibi appropriaverint. Facile, hæc jam ad cæteros in Ga-  
zophylacium, suam pecuniam mittentes, accommodamus. Plu-  
res adfuisse fraudatores, ostentatores, consuetudinarios, qui  
nec finem, nec objectum legitimè observaverint, quod Christus  
ipse innuere videtur, dicens: Omnes hi ex eô, quod, ipsis exu-  
berabat, nisi ferunt in munera Dei, non animô honestè compo-  
sitô, sed tantum consuetudine ita ferente, occasione oblatâ, quæ-  
dam tradiderunt. At hæc πτωχὴ, omnem facultatem, quam  
legi-

legitimè sibi comparaverat in Dei gloriam, & honestatem, conscientiaq; tranquillitatem, dispensavit, & quòd forsan, mirum dictu plus quam omnes dedit.

§. XX. Id fluit ex principio Philosophis communi, scil. Virtutes non ex nominibus, sed ad verbiis dijudicandas, non quantæ sint quousq; sese extendant, ut in liberalitate quantum detur, sed quomodo detur, quove fiat animo, an quis fronte quidem porrecta (ut apparet) sua largitur munera, at intrinsecus, vel doloribus obstrictus, vel contentione plenus, ita ut ridendo-lugens meritò dicatur. Nullum ergò dubium est, quin plures adfuerint, munera Deo offerentes, tali corde affecti: Vidua tamen corde sincerò lætâ manu, suas exponebat divitias. Quod de illa dicitur in specie, illud in genere de omnibus pauperibus liberalibus asserendum, quod si corde sincero, atq; non invitò, aut violento quasi animò quicquid in suâ habuerint potestate largiantur multis omninò gradibus superent liberalitatem ditiorum, quod Christus in presentiarum exponit. Quid multis? non respicitur hic ut cum barbaris barbarè loquar, opus operatum, sed operans, cujus qualitas maximè in sensum venit, atq; inde nata est illa circa quæstionem nostram, distinctio, quod scilicet multum differat liberalem esse, effectum, qui bona multa quibus abundat munere dat, & liberalem esse affectum, qui scilicet non multum, det, sed parum, intimò tamen cordis affectu, nec dissentiente voluntate cum appetitu, ubi datur felix & composita inter appetitum sensitivum, intellectum & voluntatem harmonia, quæ videri, possunt in viduâ liberali Sareptinâ, medicâ farinâ instructâ, pavit tamen Eliam & opus misericordiæ ei exhibuit. 1. Reg. 17. nec oggerendum est eâ supernaturali gavisam benedictione, & ita facile, victum Prophetæ suppeditasse; verum nos hic ad priora respicimus, cum Elias ad eam adventaret, cum nondum certior esset reddita, unde in posterum vitam sustentaret, cujus satis luculentum extat testimonium l. c. excusaverat se ultimam farinæ particulam habere, quâ consumptâ, vitæ terminum fame acceleraturam. Quis eam avaram, aut vitiosè parcam, aut prodigam, quin plenò ore liberalem dixerit. Determinamus proinde thesin nostram extremè pauperes affectu sapius, effectum verò aliquando tamen esse liberales. Qui

B §

verò

verò aliquibus instructi opib; sunt, hos semper effectu liberales quisq; perspicit, nisi luscis accedat oculis aut lippientibus. Nec immorabimur tantum rationi, Sacra enim litera hic dulci harmonia literas componunt, verbis saluatoris qui docet & haustu aqua frigida esse liberales, si illum exhibeant veris Christianis. Matth. 25. quem & opulentissime remunerare promittit in die extremò, ac inter cæteras simul virtutes & liberalitatem extollit.

§ XXI. Alii, ita modo declarata proponunt, distinguentes, inter *Qualitatem & Quantitatem* dantis. *Qualitatem* in affectu, collocant, aut modò, quali nimirum quis animo sit affectus in eleemosynis, aut aliis pecuniis largiendis: *Quantitatem* in multitudine aut paucitate rei porrectæ consistere dicunt, scil. quantum quis det: ex quibus tale spontè sua dimanat Porisma: Respicendam esse qualitatem dantis, non quantitatem doni, nam qui dat pauca, manu, prompta tamen mente, is plus dat, quam qui donum splendidum manu, animò verò invitò. Unde sæpè fit, ut beneficium, quod secundum rei quantitatem, minus, affectu sit longè majus illò, quod secundum rei quantitatem majus est. In conferendo beneficio, plus animus, quam sensus operatur, magis præponderat benevolentia, quam possibilitas reddendi muneris, testante B. Wendero in Philosophiâ Practicâ p. 276. affectus pauperi proprius, liberalitatem omninò adornabit.

§. XXII. Accedit & illud quod Opposita Virtutis in Subiecto præsentia, arguant absentiam Virtutis, quæ vel ad fuit vel ad minimum adesse debebat. Virtus autem & vitium dupliciter sibi possunt opponi vel *contrariè*, vel *privativè*, & quidem priori modo, si considerentur *materialiter* quatenus sunt qualitates sibi oppositæ, quæ semper sibi invicem contrariantur, nec in unò eòdèq; subiecto concurrere possunt: posteriori modò, si spectentur *formaliter*, quatenus nimirum, Vitium est habitus privativus, virtus verò positivus. Si igitur in pauperem cadunt vitia. Liberalitati opposita scilicet avaritia, vel prodigalitas, necesse est in eò quoq; inveniri posse Virtutem. Nam cuicumq; nõ repugnat inesse vitium, illi nec repugnabunt in esse virtutes. Privatio quippe dicit absentiam, in eò subiectò quod aptum erat ad recipiendum illum. Subsumimus, in paupere dantur vitia Liberalitati opposita. E. Minor facile constat, quia pauper vel unicò tan-

tantum nummō & avarus, & prodigalis esse potest, si enim hunc profundat, & gulæ impendat, quis non ibidem prodigalitatē prælagiverit, & si eundem tenaciter nimis teneat, nec si forsan proximus laborans adfuerit ipsius misertus, hunc distribuerit, in avaritiæ notam impingit, aut si aliquando quocunq; officio exhibendam proximo suo denegaverit misericordiam, avaritiæ reus erit. Dantur itaq; hæ in paupere belluæ ut ita in Tabulâ Cebetis vocantur, quæ animum infestant & ne ad honestum finem perveniat, omni conatu allaborant, sunt Vermes corda rodentes, conscientiaq; morsus promoventes, & ad augentes, quos si pauper sentit, & in die extremō illi & hoc ex probrabitur Vitium, quidni habitus adfuisse potuerit, nec Christus Judex justissimus, pœnas renunciaret avaris, vel haustum aquæ aut hospitalitatem intermittentibus, nisi hæciis observatu fuerint possibilia, quemadmodum in piis hæ gemmæ fulserunt.

§. XXIII. Maximum est quod contra nostram assertionem vibratur telum scil. habitum crebris actionibus esse acquirendum, E. qui vel nunquam exercuit, vel tantum unicam actionem edidit, hunc habitum nondum acquisivisse, & per consequens non posse dici liberalem. Verum distingvimus inter habitum in excellenti gradu, & in remissiori constitutum. Prior enim non nisi crebrioribus accedit actionibus, at posterior in uno actu, eōq; rectè disposito adest. Porro distingvimus inter *actum primum & secundum*. E. pauperes extremè tales erunt ad minimum, quoad actum primum liberales, si non quæ secundum semper. Et quidni, vel unus actus in liberali posset dici virtus sive habitus, cum & virtus heroica sit habitus, & tamen unō actu constare possit, ut Josephus unâ vice satis Heroicè suam contestatus est, castitatem. Christo viduam vel ob unum ipsius actum quem tum viderat, encomiis afficit. Ergo & ibidem adfuit habitus, & quoniam Virtutes habent gradus, dicuntur & remissiores & intensiores, priores qui in pauperes cadunt, tamen erunt habitus, quemadmodum calor, qui in hōc subjectō quoad quinq; gradus, in altero verò quoad duos tantum gradus, utrobique tamen dicitur qualitas, & vera est qualitas, sic quoque cum habitu erit comparatum, qui est qualitas: Quicquid enim de genere prædicatur, id de sua specie prædicari necessum est.

§. XXIV.

QA  
114  
1162


§. XXIV. Porro ita nostra videtur labefactari thesis: Quibus-  
cunq; defunt nervi in illos non cadit liberalitas, per nervos huc  
indigitari divitias quisq; sentit, sed quid de iis habendum sit &  
quomodo ad virtutem sese habeant thesi 17. diximus, ut autem  
vires ingenii nostri exerceamus, respondemus: distingvendum  
esse, inter nervos absolutè necessarios & hypotheticè tales, nec  
non inter nervos, qui essentiam rei constituunt, vel eam tantum  
sublevant & condecorant. Faciles proinde largimur, pauperi-  
bus deesse nervos; sed non omnes, esse quoq; necessarios hypo-  
theticè, quatenus nimirum in majori gradu virtus exercenda  
est, imò suppetias ferre huic virtuti, divitias in eadem § 17. docu-  
imus, nec solum objectum efficit virtutem, nisi vera & justa ani-  
mi adfit applicatio.

§. XXV. Distingvimus insuper inter illud quod adest funda-  
mentaliter & radicaliter, & inter illud quod adest extensivè &  
magis quam prius formaliter. Priori modo & Pauperes dici libe-  
rales apud omnes inconfesso est, nec negamus formaliter quoq;  
adesse pauperibus liberalitatem aliàs enim, ne quidem adesset,  
nisi formaliter in esset. Ubi enim formalis ratio Virtutis abest  
ibi quoq; ipsa nullas ager radices.


§. XXVI. Coronidis locò addimus adhuc duplicem Liberalita-  
tis esse rationē: nam ut Cicero inquit: aut operâ benignè sit indi-  
gentibus, aut pecunia, facilius est hæc, locupleti præsertim: sed  
illa lautior ac splendidior, & viro forti claroque dignior lib. 2. offic.  
p. m. 90. ergo nobiscum consentit Cicero, vel ad minimum opera  
qualicunq; posse exerceri liberalitatem. Unde Themistocles  
cum consuleretur, utrum bono virò pauperi, aut minus probatò  
diviti filiam collocaret: Ego inquit malo virum qui pecuniâ e-  
geat, quam pecuniam quæ virò. E. non pecunia sed Virtus ubiq;  
æstimanda erit. Non quidem multos adduximus autores, sed  
unicus nobis ad instar omnium est, à cujus ore eloquen-  
tissimo ac experientissimo pependimus Patrono atq; Præceptore  
nostro longè æstimatissimo DN. Nöhrensee P. P. in cuius  
autoritate maximâ libentes acquiescimus.

Tantum.

SOLI DEO GLORIA!







B.I.G.

Farbkarte #13

H. 352, 34

X 1860467

II f  
1162

Q. D. B. V.

# PAUPERES LI BERALES,

DISSERTATIONE PHILOSOPHICA,  
*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ indultu.*

PRÆSIDE

## M. NICOLAO PA- NECIO, Zittâ-Luf.

Sereniss. Elect. Saxon. Alumno,  
placidæ Eruditorum disquisitioni  
submittit,

RESPONDENS

### WILHELMUS Græneke |

Freiberg. Misn.

S.S. Theol. & Phil. Stud.

*Ad diem IX. Septembris*

Horis pomerid.

*Anno M DC XCI.*



98



WITTEMBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII.



9.19.